



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.I.], 1558

Capvt XXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

THEOLOGIA

Atq; vbi hoc Deus aſſequi potest, ha-
bet chariſſimū atq; acceptiſſimum,
ſed homini eſt accerbiſſimū atq; gra-
uiſſimum . Omnia quæ hīc ſcripta
ſunt de Dei proprietate , quam ſanē
habere vult in homine , in quo ea e-
xeritū & exeretur , hæc inquā do-
cet vera lux: et ideò docet, vt homo
(in quo ea ad rem confertur atq; ex-
eretur) non magis eā ſibi vendicet,
quām ſi ipſe non eſſet. Nam ita de-
mum perſpicitur, hominem hoc non
poſſe, neq; hoc ei tribuendum eſſe.

C A P V T . XXXVI.

Christi vita propter præmissam, a mandata. **I**gitur ſicubi eiusmodi deificatus homo eſſet, aut eſſet: ibidem eſſet, aut eſt omniū optima prætantiffi-
maq; vita, & Deo acceptiſſima, quæ vnquā vel fuerit, vel futura ſit. Atq;
ex æterno amore (qui Deum amat,
ut bonum, & propter bonū : itemq;
amat, quod eſt in rebus optimum et
prætantiffimum, etiam propter bo-
num) uſque adeò amatur vera præ-
ſtansq; vita, ut ea nunquam deſera-
tur ab eo homine, in quo eſt, etiamſi
viueret is homo uſq; ad ultimā diē.
Quin etiā fieri non potest, ut ea re-
linquatur, etiamſi oppeteret is ho-
mo

mo mille mortes, omniaq; caderent
in eum mala, quæ in omnes creatu-
ras cadere possunt. Hęc inquā vni-
uersa pati mallet, iquām præstantem
vitam relinquere, etiāsi posset pro ea
angelicam vitam adipisci. Atque hīc
ad quæstionem illam respondetur,
qua quæstium est: Si homo Christia-
na vita nihil amplius consequi , aut
vtilitatē vllam adipisci potest, quid
iam opus sit, vt quicquam faciat. Nō
ideo habetur hæc vita, vt inde vtilita-
tē p̄cipias, aut aliquid cōsequare: sed
amoris, & eius præstantiæ gratia, &
quia id Deo charum & acceptū est.
Quod si quis dicat aut putet , iam
satis eius haberi , aut eam deponen-
dam esse, is eam non sentit at nouit.
Nam vbi ea verè inuenitur ac senti-
tur, nunquam relinquiri potest . Qui
verò Christi vitam ideo habet, vt ea
aliquid assequatur aut mercatur, is
eam habet vt mercenarius , non a-
more, vel potius omnino non habet
Qui eam nō amore habet, is nō ha-
bet, putet licet eā se habere, sed fal-
litur . Habuit Christus vitam suam
nō ppter mercedē , sed amore: & a-
mor vitam reddit facilē nō grauem;

effi-

THEOLOGIA

efficitq; vt libenter habeatur, & volenter feratur. Sed qui eam non amore habet, sed propter præmium habere se putat, huic est quām grauissima, ab eaq; libenter citò liberaatur: atq; hoc est cuiusq; mercenarij proprium, vt laboris sui finem exoptet, At verus amator neq; labore, neq; tempus, aut dolorem ægrè fert. Hanc ob rem scriptum est: Deo seruire & viuere, est ei facile, qui id facit. Est istud quidem verum ei, qui amore facit: sed ei qui præmij causa facit, graue est. Idem sentiendum est de omnibus virtutibus & rectè factis, idemque etiam de integritate, æquitate, & similibus.

CAPUT XXXVII.

Deus est
supra
omnem
ordinē.

Dicitur, idq; verum est: Deum esse supra omnē, & absq; omni ritu, mensura, & ordine, & tamen dare omnibus rebus ritū, mensuram, ordinem, & rationem, id quod sic intelligendum est: Deus vult ea omnia habere, & tamē non potest ea in seipso sine creatura habere. Nā in Deo, sine creatura, nec ordo est, nec cōfusio, nec ritus, nec nō ritus &c. Hanc ob